

- Interfecti sepultura,
vulnerati carent cura,
vinculati solutore,
fugitivi protectore,
pre timore gentium.
- 8 Arma duces acceperunt,
viri fortes convenerunt,
hosti terga percussuri,
vel ab hoste ruituri
cuncti pari prelio.
Set cum belli lux illuxit,
hostis Martem mox instruxit,
Hungarorum cor expavit,
castra timor perturbavit,
fugit mens et ratio.
- 9 Regnum nutat et corona,
Mars deseuit et Bellona,
vibrat hastas, tela jacit,
et immensam cedem facit:
fusa iacent corpora.
Pontifices et primates,
una cadunt almi vates,
prosternuntur viri fortes,
disperguntur et cohortes:
instant dura tempora.
- 10 Summa nescit occisorum,
meta claudi numerorum:
dee bine que venerunt
cum sorore, vix ruperunt
morientum licia.
Hungarorum pro ruina
celum stupet, pro ruin ,
chaos ferri mundi rebus,
crederetur his diebus,
hac visa miseria.
- 11 Est completum Davitico
quod cantatur in cantico: (Ps. 78, 3)
nullus fuit, magnatorum
carnes sive clericorum
qui telluri traderet
Tabefacte putruerunt,
aves celi comederunt,
dentes canum consumpserunt,
ossa lupi disperserunt,
nemo qui repelleret.